

*Pri. 59. num. 85. P. 2a. 54.*

Q. F. F. Q. S.

1763/15

SPECIMEN INAUGURALE

DE

LEGIS FALCIDIAE  
BENEFICIO

9296

ANNUENTE DIVINO NUMINE

EX AUCTORITATE

MAGNIFICI ATQUE AMPLISSIMI

JURISCONSULTORUM ORDINIS

IN ACADEMIA PATRIA

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS

AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

RITE CONSEQUENDIS


PUBLICE VENTILANDUM PROPONIT

JOHANNES BERNOULLI

JOH. F. BASILEENSIS

Ad D. 5. Julii A. P. C. N. MDCCLXIII.

H. L. Q. S.



Typis JOH. HENRICI DECKERI, Academiæ Typogr.



VIRO EXIMIO  
DOMINO  
DANIELI BERNOULLI

IN LYCEO PATRIO PHYSICES PROFESSORI  
CELEBERRIMO  
ILLUSTRIORUM INTER EXTERAS ACADEMIARUM  
DECORI ATQUE ORNAMENTO  
SUO E SACRO FONTE SUSCEPTORI  
PATRUO ALTERIQUE TANQUAM PARENTI OPTIMO

Levidense hocce Specimen academicum  
in grati animi testimonium  
sacrum facit  
cumque eo sese totum offert  
atque devovet

AUCTOR



I.

Quandoquidem in qualicumque hoc meo  
specimine de LEGIS FALCIDIAE BENE-  
FICIO breviter disserere & quaestiones  
quasdam eo spectantes tractare constitui,  
haud omnino inane operam me impen-  
surum existimo, si ad majorem rubri mei explanationem  
succinctam Legis Falcidiaë historiam praemittam eumque in  
finem Legis nostrae originem paulo altius repetam.

II.

Decemviros LL. XII. Tab. cavisse *Pater familias uti  
legasset super pecunia tutelave suae rei, ita jus esto* patet ex l. 53.  
l. 120. ff. de V. S. Nov. XXII. Cap. 2. Ulp. Fragm. Tit. XI.  
§. 14. Ex horum itaque verborum legitimorum auctori-  
tate tantum quisque legare poterat, quantum volebat,  
quum vero saepius accideret ut testatores hac sibi concessa  
potestate legandi quantum libuerit, minus caute uterentur,

fiabat inde ut plures hæreditatem tot legatis exhaustam adire nollent illamque repudiarent, quo pacto ultima testatorum elogia destituebantur, ipsique intestati moriebantur. *l. 9. ff. de test. tut. l. 1. ff. de injust. rupt. irr. test.* LAUTERBACH. *Colleg. ad ff. Lib. XXXV. Tit. II. §. 3.*

## III.

Quod cum & testatoribus atque hæredibus molestum esset *pr. J. de L. Falcid. l. 71. ff. eod. & l. pen C. eod.* & publice interesse existimaretur suprema hominum judicæ exitum habere *l. 5. ff. test. quemad. aper.* visum est hanc legandi licentiam coarctare & propterea primo lata est LEX FURIA cujus ætas incerta, HEINECC. *Hist. Jur. Lib. I. §. 94.* id tantum certum est, eam a C. Furio Tribuno Plebis latam fuisse, *pr. J. de L. Falcid.*, & quoad ejus ætatem, illos rem acu non tetigisse, qui statuerunt hanc legem eandem esse cum lege Fusia Caninia, quia lex Furia testamentaria antiquior lege Voconia, lex vero Fusia Caninia recentior hac lege est, (a) HEINECC. *in Antiq. Rom. Lib. II. Tit. 22. nota. f.* cavebatur autem lege Furia testamentaria, ne liceret ultra mille asses vel legare vel mortis causa donare, præterquam cognatis & quibusdam aliis, quales erant cognati manumissoris ULP. *Fragm. Tit. I. §. 2. & Tit. XXVIII. §. 7.* Et si quis alius ultra hanc summam legatum acceperat non rescindebatur quidem legatum sed legatarius tamen quadruplum reddere cogebatur. ULP. *Fragm. Tit. I. §. 2. & ibi SCHULTING.*

## IV.

Mox vero hanc legem elusit Romanorum calliditas; coeperant enim uni quidem non ultra mille asses legare, sed

(a) Lata enim fuit lex Fusia Caninia Anno ab V. C. 752. sub Augusto Imp. v. HEINECC. *in Antiq. Rom. Lib. I. Tit. 7. §. 1.*

fed tamen tot scribere legatarios ut & sic penes hæredem nihil aut parum remaneret; HEINECC. in *Antiq. Rom. Lib. II. Tit. 22. §. 16.* Hinc Q. Voconius Saxa A. V. C. 584. Q. Martio Philippo iterum & Cn. Servilio Cæpione Coss. aliam legem VOCONIAM dictam tulit, qua lege non solum cautum est ut foemina hæres institui non posset, nisi in determinata bonorum parte; sed & ne quis census plus cuiquam legaret quam ad hæredem hæredesve perveniret, & sic de singulis quidem legatariis, legislator cavebat, nihilominus vero per multos legatarios hæreditas tantum non exhauriri poterat. HEINECC. *l. c. FRANC. BALDUINUS de lege Voconia.* ANT. GOVEANUS in *pref. ad Interpret. legum X. Tit. ff. ad L. Falcid.*

## V.

Quare nec hæc lex sufficiens ad rei consummationem visa est, *pr. J. de L. Falcid.* & novissime demum lata fuit LEX FALCIDIA a Publio Falcidio Tribuno Plebis tempore Augusti aut potius triumvirorum A. V. C. 714. Cn. Domitio M. F. Calvino iterum & C. Afinio Pollione Coss. ut testantur DIO. CASS. *Lib. XLVIII. p. 377.* ISIDOR. *Etymol. Lib. V. Cap. 15.* VINN. *ad pr. J. de L. Falcid.* SCHULTING. *Jurispr. vet. antejust. p. 121. 330.* Duo hujus legis capita referuntur a Paulo libro singulari ad hanc legem, quæ prostant. *l. 1. pr. ff. ad L. Falcid.* (b) Primo capite libera legandi facultas conceditur; secundo vero capite modus legatorum constituitur, ne plus legare liceat, quam dodrantem universæ hæreditatis, id est, ut siue unus hæres sit siue plures, apud eum eosve pars quarta remaneat. *d. pr. J. d. l. 1. pr. ff. ad L. Falcid.* ULP. *Fragm. Tit. XXIV. §. 32.* Non permittit igitur hæc lex, hæredi quadrante accepto, hæreditatem repudiare, sed testatorem obstringit, ut quar-

A 3

tam

(b) Magna quoque cura ea collegere & illustrare FRANC. BALDUINUS & ANT. GOVEANUS ut itaque inutile videatur illa hic recensere.

tam hæredi salvam relinquat, idque si non fecerit, hæredi potestatem facit, tantum detrahendi legatariis, quantum desit quartæ suæ. HEINECC. *Syn. Ant. Rom. Lib. II. Tit. 22. S. 18.*

## VI.

Hæc de Legis nostræ Historia præmissa, quid per *Legis Falcidie Beneficium* intelligendum sit, abunde declarant. Et primo quidem ad *Legis* vocabulum quod attinet, apparet id in strictissima significatione hoc loco non accipi, sicut in §. 4. *J. de J. N. G. & Civ.* ubi dicitur *Lex est, quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante (veluti Consule) constituebat.* Sed latius, ut comprehendat Plebiscita aliasque Sanctiones. Falcidia enim Lex, uti jam dictum fuit *num. V.*, lata est a Plebe, interrogante Tribuno Plebis P. Falcidio, erat itaque proprie plebiscitum & inde vim ac nomen Legis nanciscitur, quum lex Hortensia plebiscitis parem ac legibus dederit auctoritatem. *l. 2. S. 8. ff. de O. J. HEINECC. ad ff. P. I. S. 40. GELL. Noct. att. Lib. XV. Cap. 27. GOVEAN Lect. var. Lib. I. Cap. 23. idem in Pref. ad Diss. de L. Falcid.* Deinde legem nostram nomen suum a P. Falcidio accepisse, quivis in antiquitatibus Romanis tantillum versatus primo intuitu sentiet, plerumque enim leges ab autoribus nomen sortiebantur. VALENT. FORSTER. *Dissert. Justinian. Lib. I. Diss. 14 S. 14.* Ridiculus ergo Glossatorum error est, qui Falcidiam hanc legem dictam volunt a *falce* vel *defalcando*, quod, ut falx foenum, sic & lex legata refecat. DION. GOTHOFR. *ad l. 1. ff. ad L. Falcid.* ANT. SCHULTING. *Jurispr. vet. antejust. p. 121.* Nec minus errant, qui legem Falcidiam a Consule Falcidio dici, existimant. LAUTERBACH. *Colleg. ad ff. Lib. XXXV. Tit. 2. S. 1.* Patet quoque me non monente, Falcidiam, id est, quartam Falcidiam (c)

nos

(c) Sic enim appellatur pars quæ de legatis refecatur & quæ alias etiam *Quadrans Falcidianus* nuncupatur. LAUTERBACH. *l. c.*



nos in sensu strictiore sumere; interdum enim voce Falcidia, latius sumta, etiam quarta Trebelliani vel Pegasiani Scti continetur; *l. 86. ff. l. 10. l. 11. C. ad L. Falcid. l. 8. §. 11. ff. de inoff. testam. l. 1. §. 19. ff. ad Sct. Trebell.* LAUTERBACH *l. c.* HUBERUS *praelect. ad ff. Lib. XXXV. Tit. 2. §. 1.* Imo sumitur quandoque hæc vox latissime pro quacunque detractioe, ut in Nov. XCII. Denique Beneficii vocabulo intelligimus remedium juris quo uni alterive succurritur: Quam merito autem de lege Falcidia dicatur illam beneficium collocare ex ejus historia videre est, pauca enim sunt leges quarum favor tam late se diffundit ac legis Falcidiae, qua quippe quatuor minimum personæ beneficio afficiuntur. 1º. nimirum *Publicum*, publice enim expedit *suprema hominum Judicia exitum habere l. 5. ff. testam. quemad. aper.* 2º. *Testator pr. J. de L. Falcid.* ne scilicet Testamentum nulla spe lucri destituatur. *l. pen. C. ad L. Falcid. ut & Nov. I. in fine ubi dicit Imp. Legem, neque in paupertate vivere neque in anxietate mori snere;* nam si hæreditas legatis exhausta ab hærede scripto non adiretur, frustra testamentum condissent. 3º. *Hæredes, l. 71. ff. ad L. Falcid.* hi enim præcipuum commodum ope hujus legis percipiunt. 4º. Denique *Legatarii ipsi*, qui alias scriptis hæredibus hæreditatem repudiantibus legatis suis fraudabantur. *Arg. §. 2. in f. J. de L. Falcid.* FRANC. BALDUINUS. *ad L. Falcid.*

## VII.

Accedamus nunc propius ad institutum nostrum & postquam exemplo (d) illustraverimus modum detrahendi quartam Falcidiam in casu ubi legata omnia pure relicta dodrantem hæreditatis excedunt, eundem postea modum casibus nonnullis specialibus applicemus. Ponamus Testatorem reliquisse 1000, Titio legasse 200, Mævio 300, & Sem-

---

(d) Talia etiam reperiuntur Exempla §. 3. J. & l. 73. §. 5. ff. ad L. Falcid.

Sempronio 400. ut itaque hæredi (summa legatorum cum sit 900) deficiant 150 quo minus quartam suam, nimirum 250, salvam habeat, quantum nunc unicuique legatariorum ex legato suo detrahendum sit, ut quarta pars hæreditatis apud hæredem maneat, invenietur per regulam societatis hoc modo. Ex 900 detrahi debent 150 ergo

$$\text{ex } \left\{ \begin{array}{l} 200 \\ 300 \\ 400 \end{array} \right\} \text{ detrahi debent } \left\{ \begin{array}{l} \text{Titio} \\ \text{Mævio} \\ \text{Sempronio} \end{array} \right\} \left\{ \begin{array}{l} 33\frac{1}{3} \\ 50 \\ 66\frac{2}{3} \end{array} \right.$$

Et sic Titii legatum valebit  $166\frac{2}{3}$ , Mævii legatum 250 & Sempronii legatum  $333\frac{1}{3}$ .

### VIII.

Quod debitum legari possit creditori a debitore non ambigitur, modo plus sit in legato quam in debito, id autem pluribus fieri potest modis *l. 28. l. 29. ff. de leg. 1<sup>o</sup>*. unus horum modorum est, si ratione temporis utile sit legatum, id est, propter repræsentationis commodum uti dicitur in *l. 1 §. 10. ff. ad L. Falcid.* quando id, quod in diem debebat, testator pure legat; constat igitur commodum quod legatarius ex tali legato percipit in interfusorio, id est, in eo quo valor debiti statim soluti excedit valorem ejusdem post tempus solvendi, & ex hocce excessu quarta Falcidia detrahenda erit, si alioquin quartam suam salvam hæres non habuerit, *d. l. 1. §. 10. ff. ad L. Falcid.* ex ipso enim debito nunquam detrahi potest Falcidia, cum semper ex hæreditate deducendum sit æs alienum antequam Falcidia computetur, *§. 3. J. l. 6. C. ad L. Falcid.* sub quo in nostro casu etiam debitum legatum contineri nullum dubium est. *JOH. VOET. Lib. XXXV. Tit. 2. num. 26*; æs alienum enim hic sumitur in sensu lato & comprehendit omne, id, cujus præstandi necessitate defunctus obstrictus fuit, tam pe-

cupiam

cuniam numeratam, quam alias res & actiones ære æsti-  
mandas, LAUTERBACH *Tit. ad L. Falcid. §. 16.* Ponamus  
Ex. gr. Testatorem relinquere 1000, debere autem Cajo  
200 post decennium solvenda; legat Cajo hæc ducenta  
pure, Sempronio præterea 700 æque pure; Quæritur an  
legi Falcidiæ locus sit & quomodo ratio ejus ducenda?  
Ad hanc resolvendam quæstionem, ante omnia quæren-  
dum nobis est quantum testator in bonis reliquerit (bona  
enim non intelliguntur nisi quæ deducto ære alieno super-  
sunt, *l. 66. §. 1. ff. ad L. Falcid. l. 39. §. 1. ff. de V. S.*) id-  
que invenitur si valor præsens 200 post decem annos sol-  
vendorum, determinetur & a 1000 auferatur; Ex pluribus  
huncce valorem præsentem determinandi modis nos elige-  
mus eum quo utitur Vir. Cl. J. J. D'ANNONE in *Dissert. de*  
*Usuris illicitis & Interfusorio*, atque adhibebimus formulam

$\frac{20^n}{21^a}$  (e) quam exhibet in ejusdem *Dissert. §. XVIII.* (positis  
usuris quincuncibus pro legitimis & *a* indicante valorem  
pecuniæ post numerum *n* annorum debitæ) & reperiemus  
substituendo 200 pro *a* & 10 pro *n*, dictum valorem præ-

sentem =  $\left(\frac{20}{21}\right)^{10} \cdot 200 = 122,7833$  (nam  $\log. 200 - 10 \log. \frac{21}{20}$   
= 2,3010300 - 0,2118930 = 2,0891370 cujus logarithmi  
numerus est 122,7833) æstimanda igitur est testatoris hæ-  
reditas 1000 - 122,7833 vel 877,2167; utiliter Cajo legata  
sunt 77,2167, summa itaque legatorum quæ est 777,2167  
exsuperat dodrantem hæreditatis nempe 657,9125 quanti-  
tate 119,3042; patet ergo hæredem legis Falcidiæ bene-  
ficio

- (e) Alium in Digestis uti etiam in plerisque ad ea commentatoribus, mo-  
dum computandi interfusurium fuisse usitatum, haud ignoro, quum  
autem Vir supra laudatus J. J. D'ANNONE in *Dissert. suæ §. XXVI.*  
& XXVIII. luculenter demonstraverit quam erronea sit methodus  
illa interfusurium computandi, rem quasi confectam habebõ, & ne  
crabrem bis coctam lectori apponam, eum ad loca allegata remitto.

ficio uti & ex legato Caji 11, 8529, eademque proportio-  
ne ex 700 quæ Sempronio legata fuere 107, 4513 detra-  
here posse.

IX.

In Civitate, ubi moris est ut singulis decenniis e col-  
legio quodam sex constante membris, per sortem consul  
eligatur, candidit quis, 1200 in bonis habens, testam-  
tum in quo legat Mævio 900 pure, Sempronio autem  
qui 30 annos natus & unus est e sex membris dicti colle-  
gii, 300 sub conditione si proxima electione, consul crea-  
tus fuerit; moritur hicce testator deficiente adhuc biennio  
antequam novus creetur consul; Quæritur quanti utrius-  
que legatarii legatum detracta Falcidia æstimari debeat? (f)  
Quum pateat, determinari non posse, quantum a legato  
Mævii defalcandum sit, nisi cognito valore legati Sempro-  
nio relictæ, ab investigatione hujus valoris resolutionem  
quæstionis propositæ incipiemus. Plura autem hic conside-  
randa veniunt, quorum præcipuum procul dubio est, pro-  
babilitas quæ adest Sempronium tempore electionis consu-  
lis adhuc in vivis extitutum esse, cum aliàs legatum con-  
sequi non posset. Ad hanc probabilitatem igitur invenien-  
dam, utamur tabula Hallejana exhibente numerum viven-  
tium

(f) Certum enim est legi Falcidiæ locum fore, quantumvis exigua ex-  
spectatio sit Sempronii, quum Mævio dodrans hereditatis jam le-  
gatus sit. Quid autem per *expectationis* vocabulum hic ut & in  
sequentibus intelligam, ad commodum lectoris artis conjectandi  
plane expertis, monendum esse arbitror. Quod etiam monet Cel-  
JAC. BERNOULLI in Scholio ad Prop. I. HUGENII de ratiociniis in  
alea ludo, quando dicit, *vocabulum expectationis non sumi sensu*  
*vulgari, quo communiter expectare vel sperare dicimur, quod*  
*omnium optimum est, licet nobis pejus accidere possit, sed quate-*  
*nus spes nostra impetrandi optimum temperata & imminuta est*  
*in tu consequendi pejus; adeo ut per valorem ejus semper significetur*  
*intermediæ quidpiam inter optimum quod speramus & pessimum*  
*quod metuimus.*

tium per singulas ætates post annum 1<sup>um</sup> ad 84<sup>um</sup> si numerus post annum primum superstitem fuerit 1000 & numerus natorum 1238, quam tabulam cel. Hallejus ex factis emortalibus Vratislaviensibus hanc ob rationem deduxit, quod urbs Vratislavia esset mediterranea, salubriori aëre gaudens, nec ab exteris tantum frequentata quantum Londinum aut Lutetia Parisiorum, e quarum urbium catalogis mortuorum, ordines suos æque deducere potuisset; hæc quoque ratio nos movet ut dictam tabulam tanquam ad inveniendas ætates hominum aptissimam (g) præ cæteris pro basi calculi nostri assumamus. Ut itaque inveniat ratio probabilitatis mortis Sempronii 30 annos nati, post biennium, ad probabilitatem ejus vitæ eodem præterlapso tempore, dividendus erit (uti docet Vir cel. JOH. GESNER in *Dissert. de Terminis Vitæ Thes. X.*) numerus mortuorum intra annum 30<sup>um</sup> & 32<sup>um</sup> per numerum viventium ab initio, (30<sup>mo</sup> scil. ætatis anno) & obtinebitur probabilitas mortis, deinde dividatur numerus viventium post 32<sup>um</sup> ætatis annum per numerum viventium ab initio, ad obtinendam probabilitatem vitæ. Est vero secundum tabulam Hallejanam numerus superstitem post 30<sup>um</sup> annum ex 1238. supra dictis = 531, numerus superstitem post 32<sup>um</sup> annum = 515, numerus ergo, intra hoc biennium mortuorum = 16, probabilitas mortis =  $\frac{16}{531}$  &

probabilitas vitæ =  $\frac{515}{531}$ , ratio igitur quæsitæ est ut 16 ad

515 aut 1 ad  $\frac{515}{16}$ . Secundo consideranda est probabilitas quam habet Sempronius ad consulatum perveniendi si 32<sup>um</sup> ætatis annum attigerit, atque hæc per notissima calculi probabilitatum principia est  $\frac{1}{2}$ . His cognitis eorundem principiorum ope investigabitur expectatio quam Sempro-

B 2 nius

(g) Assentiente Cl. D. DEPARCIEUX in Libro qui inscribitur *Essai sur les probabilités de la durée de la vie humaine* pagg. 38. & 41.

nus statim post mortem testatoris habet, proxima electione ad consulatum perveniendi, sequenti ratiocinio: 16 sunt casus quibus Sempronius nihil consequitur, (si enim moriatur ante electionem consulis, omnis spes ei adimitur ex legato aliquid percipiendi) 515 sunt casus qui Sempronio  $\frac{1}{2}$  dant, ergo expectatio ejus exprimitur per

$$\frac{16.0 + 515 \cdot \frac{1}{2}}{531} = \frac{515}{3186};$$

Legatum igitur Sempronii valet

$\frac{515}{3186} \cdot 300$  aut 48, 4934 post biennium solvenda. Porro autem hoc legatum in diem relictum ad legatum purum est reducendum *l. 45. pr. ff. ad L. Falcid.* quærendo valorem præsentem 48, 4934 post biennium solvendorum & repe-

ritur hic valor præsens substituendo in formula  $\left(\frac{20}{21}\right)^n \cdot a$

qua usi sumus in *prac. num.* pro  $n$ , 2 & pro  $a$ , 48, 4934; reperitur, inquam, = 43, 9848, summa igitur legatorum est 943, 9848, hinc potest hæres deducere 43, 9848 quibus dodrans hæreditatis exsuperatur, in specie vero ex 900 quæ Mævio legata fuere 41, 9353 & ex valore præsentis legati Sempronio relictæ 2, 0495. Valores ergo quæsitæ legatorum, cum Mævio, tum Sempronio relictorum, erunt 858, 0647 & 41, 9353.

## X.

Notari hic in transitu meretur, quod si in quæstione quam modo resolvimus poneretur duos per sortem consules eligi ex præfato collegio, ita tamen ut post electum primum statim alius in collegium recipiatur, nihilominus valor legati Sempronio relictæ, ante deductam Falcidiam duplus non foret, ejus quem in præcedente hypothesi invenimus, sed minor duplo nimirum 80, 6393; causa hujus discre-

discrepantiæ est quod tempore electionis consulis expectatio Sempronii consul evadendi, in hac hypothefi non est  $\frac{1}{3}$  vel dupla expectationis quam habet in priori hypothefi, sed tantum  $\frac{1}{2}$ , cujus apparentis paradoxii demonstratio facilis est, & extat in HUGENII *Tract. de Ratioc. in ludo aleæ Prop. X.* erit itaque tempore mortis testatoris spes Sempronii consul evadendi =  $\frac{16.0 + 515 \cdot \frac{1}{2}}{531} = \frac{5665}{19116}$ , valor

igitur legati =  $\frac{5665}{19116} \cdot 300 = 88,9046$  post biennium solvendi, horum valor præfens, indicans quantitatem Sempronio legati nomine relictam, est = 80,6393 uti diximus.

## XI.

Ex resolutione quæstionis *num. IX.* propositæ in pluribus casibus non parum utilitatis colligi posse apparet. Ex.gr. si hæres & legatarius moræ pertæsi, aut hic aleam nihil consequendi, ille totum legatum exsolvendi adire nolentes, inter se convenire, aut spem suam tertio vendere malint, poterit tunc alterutrius læsio ultra dimidium impediri vel, si facta sit, probari. Non enim profus hic excludi debet remedium *l. 2. C. de rescind. vend.* cum spes etfi incerta, nihilominus certo valore & pretio æstimari possit, uti demonstratum fuit *num. præc.* sic in casu *num. IX.* si Sempronius spem suam hæredi aliive 20 vendiderit juste poterit agere ex *l. 2. C. de rescind. vend.* si vero spem suam 41,9353 vendidisset & posthac consul factus, læsionem enormem allegare vellet, non audiendus esset; nam ad cognoscendum justum pretium, non læsio quæ ex postfacto contingit, sed ipsum tempus contractus inspicere debet. *l. 8. C. de rescind. vend.* BRËNNEMANN. *ad d.l.* PEREZ. *ad Tit. C. de rescind. vend. num. 10.* LAUTERBACH. *Colleg. ad ff. Lib. XVIII. Tit. 15. §. 14.*

XII.

Applicemus id quod modo de læsione ultra dimidium, dictum est ad alium casum, in quo detractio quartæ Falcidæ computanda quoque veniat. Sempronius 2000 in bonis relinquens legavit Cajo 1200 pure, Titio vero 800 reliqua post obitum hæredis, tempore mortis testatoris, 80 annos nati, percipienda, Titius 30 natus annos, parata egens pecunia convenit cum hærede, ut sibi 300 solvantur præsentis die, qua ratione cum salvam habeat quartam suam hæres, integra 1200 præstat Cajo, paulo post intentat Titius querelam enormis læsionis, oriunturque hinc duæ quæstiones, 1<sup>a</sup> scilicet an reverà Titius in venditione spei suæ ultra dimidium læsus fuerit. 2<sup>a</sup> An si appareat illum læsum fuisse, hæresque partem pretii suppleat, possit hic quartam Falcidiam ei detrudere, teneaturque Cajo restituere de suo legato quantum hæredis intererit ut quartam suam salvam habeat. Ad primam igitur quæstionem ut respondere possimus, quærenda primum erit ætas probabilissima quam attinget homo 80 annorum, qualem esse hæredem posuimus; (accipio vocem *ætatis probabilissima* eodem sensu quo usurpatur a Cel. Auctore (h) *Dissert. de usu artis conject. in Jure p. 11.*) quam ætatem etiam mediam appellant, ad hanc probabilissimam ætatem hæredis inveniendam iterum inserviet tabula Hallejana qua usi sumus *num, IX.* & quæ pars est Tab. XIII. Libri cl. D. DEPARCIEUX; ex hacce tabula videre est ætatem mediam hominis 80 annos nati esse 4½ annos. Quum itaque poni possit hæredem post annos 4½ (i) fato defunctorum esse, quæretur jam spes Titii vita fruendi adhuc

(h) D. NIC. BERNOULLI.

(i) Qui methodum scire cupit qua hæc ætas media invenitur, legat pag. 57. & seq. dicti Libri D. DEPARCIEUX.



adhuc tempore mortis hæredis (ad quam circumstantiam ideo bene est attendendum, quia legatum sub tali quam nobis finximus conditione relictum ad hæredes non transit, l. 4. pr. l. 13. ff. *quand. dies leg. ced. l. 1. §. 2. ff. de cond. et dem.*) quærat, inquam, spes ista Titii methodo quam exposuimus *num. X.* & quæ monstrat hanc Titii spem post 4 annos & 6 menses adhuc vivendi, esse ad probabilitatem, eundem Titium intra hoc temporis spatium esse moriturum ut 247 ad 16; cum itaque 16 sint casus qui ipsi dant nihil, 247 vero qui 800 erit valor legati

$$= \frac{16 \cdot 0 + 247 \cdot 800}{263} = \frac{197600}{263} = 751, 3308, \text{ hæc autem } 751,$$

3308 cum nonnisi post  $4\frac{1}{2}$  annos debita essent & Titius statim legatum suum accipere cupiat, quærendus erit valor

eorum præsens, qui invenietur si in formula  $\left(\frac{20}{21}\right)^n \cdot a$  fiat

$n = 4\frac{1}{2}$  &  $a = 751, 3308$  quæ substitutio dat  $\left(\frac{20}{21}\right)^{4\frac{1}{2}} \cdot 751,$

3308 est vero  $\log. 751, 3308 = 2,8758310$  a quo si subtra-

hatur  $\frac{1}{2} \log. \frac{21}{20} = \frac{1}{2} \cdot 0,0211893 = 0,0953519$  relinquitur

2,7804791 cuius logarithmi numerus 603, 2248 indicat

valorem quæsitum præsentem 751, 3308 post quadriennium

& 6 menses debitorum aut 800 homini 30 annos nato sub

conditione quam supra diximus legatorum. Apparet itaque

ex hoc calculo Titium reverà enormiter, nimirum

ultra dimidium, læsum fuisse in venditione spei suæ. Ponamus

jam hæredem justum legati pretium, quod invenimus esse 603, 2248

supplere, secunda nunc erit resolvenda quæstio, mere juridica,

an nimirum, possit hæres utendo legis Falcidiae beneficio ex 303, 2248, quæ ad supple-

ndum justum legati pretium adjicienda forent, retinere 101,

4364 & adigere Cajum ad restituenda 201, 7884 quæ sibi defunt quo minus quartam hæreditatis partem integram hæ-

habeat, & videtur quidem nobis rite omnibus perpenſis, affirmative ad hanc quæſtionem reſpondendum eſſe, movet præcipue quod communes ſiant legatae res inter legatarios & hæredes pro portione Falcidiae l. 49. ff. ad L. Falcid. ita ut reſpectu legatariorum ipſo jure minuantur l. 73. §. ult. ff. *ibid.* HUBERUS *Prælect.* ad ff. Lib. XXXV. Tit. 2. §. 1., WISSENBACH. *comment. in Cod. Lib. VI. Tit. 50. l. 1., l. 2. l. 14. l. 23. ff. de cond. indeb. l. 26. l. 31. ff. ad L. Falcid., l. 1. §. 11. l. 3. §. 5. ff. si cui plus quam per L. F.*

## XIII.

Sed pergo ad reſolutionem alius quæſtionis, ad beneficium legis Falcidiae ſpectantis, quam ſuppeditat, l. 32. §. pen. ff. ad L. Falcid. *ibi ſi Titio viginti legatis portio per legem Falcidiam detracta eſſet, cum ipſe quoque quinque Sejo rogatus eſſet reſtituere: Vindius noſter tantum Sejo pro portione ex quinque detrabendum ait, quantum Titio ex viginti detractum eſſet.* Caſus autem quem mihi ſingo ad ductum hujus legis hic eſt. Reliquit defunctus in bonis 4000, legavit Titio 900, Mævio æque 900, Sempronio vero 1800 ſub modo ut Paulo 70 annos nato 120 annua præſtaret donec moreretur aut eorum æſtimationem præſenti die exſolveret, utrum ſcilicet Paulus elegerit; quæritur quantum Sempronius Paulo ſit debiturus, ſive hic ſtatim æſtimationem legati ſui, ſive hoc ſingulis penſionibus annuis accipere malit? Inveſtigemus itaque primo dictam æſtimationem ſequendo præceptum l. 55. ff. ad L. Falcid. & quærendo in Tabula Hallejana ſæpius memorata, ætatem mediam hominis 70 annorum, indigitat hæc tabula dictam ætatem mediam eſſe 7 annorum & 7 menſium, quærendum igitur nunc erit, quid ſimul & ſemel, ſtatim ſolvendum ſit loco 120 per  $7\frac{7}{12}$  annos continuos annuatim ſolvendorum, hucque ruruſ inferviet ſæpius laudata *Differt. de Uſuris illicitis & Interuſuris*, quippe in qua demonſtrat cl. Auctor §. XIX, & XX., valorem præſen-

sentem pensionum annuarum æqualium  $a$  per continuos  $n$  annos præstandarum esse  $20 a - (\frac{2^{\circ}}{2^{\frac{1}{2}}}) \cdot 20 a$ , posito usuras legitimas esse quincunces, quas & nos pro legitimis assumimus; (vid. *num. VIII.*) ergo cum in casu nostro  $a$  sit = 120

&  $n = 7\frac{7}{8} = \frac{63}{8}$  erit  $20 a - (\frac{2^{\circ}}{2^{\frac{1}{2}}}) \cdot 20 a = 2400 - (\frac{2^{\circ}}{2^{\frac{1}{2}}})^{\frac{63}{8}} \cdot 2400$  quæ quantitas facile logarithmorum ope determinatur, est enim  $\log. 2400 = 3,3802112$  a quo si subtrahatur  $\frac{63}{8} \log. \frac{2^{\circ}}{2^{\frac{1}{2}}}$  vel  $\frac{63}{8} \cdot 0,0211893$  velo, 1606855 remanet 3,2195257 cujus logarithmi numerus qui proxime est 1657,7756 subtractus a 2400 relinquit 742,2244 pro valore totius summæ quam Sempronius Paulo præstare deberet si Falcidiæ legis beneficio uti non posset, cum vero hoc beneficium ipsi concessum fuerit per *d. l. 32. §. pen.* & legatum suum diminutum fuerit sextante, poterit summam inventam in eadem ratione diminuere, Pauloque dare 618,5203 si hicce æstimationem pensionum annuarum statim accipere malit, alias poterit audacter 100 annua ei promittere.

#### XIV.

Eandem plane inveniremus æstimationem pensionum annuarum deducta Falcidia, detrahendo hanc statim a singulis pensionibus & quærendo dein valorem præsentem 100 per  $7\frac{7}{8}$  annos continuos annuatim debitorum, erit

enim tunc  $20 a - (\frac{2^{\circ}}{2^{\frac{1}{2}}}) \cdot 20 a = 2000 - (\frac{2^{\circ}}{2^{\frac{1}{2}}}) \cdot 2000$  est autem  $\log. 2000 = 3,3010300$ , subtrahatur ab eo  $\frac{63}{8} \log. \frac{2^{\circ}}{2^{\frac{1}{2}}}$  = 0,1606855 relinquetur 3,1403445 cujus logarithmi numerus 1381,4798 si subtractus fuerit a 2000 remanebit 618,5202 pro æstimatione quæsita, quæ quantitas ab ea quam *præc. num.* invenimus nonnisi in ultima nota discrepat, atque adeo, ad eam quam constructio tabularum logarithmicarum admittit amissim, cum illa congruere censenda est.

C

XV.

XV.

Ex hisce patet quam erronea sit opinio COVARRUVIÆ; quando *Lib. III. var. resol. cap. 9. num. 8.* dicit, si Testator ita legaverit, lego Titio decem annis proximis annua decem, si & hæc hæredibus Titii solvenda sint ex centum Falcidia deducenda est, idque probare conatur per *l. 32. §. 3. l. 55. ff. ad L. Falcid.*

substituatur enim in formula  $20a - \left(\frac{20}{27}\right) \cdot 20a$  pro  $n$ , 10 & pro  $a$ , 10, provenit  $200 - \left(\frac{20}{27}\right) \cdot 200 = 77, 2167$  (vid. supra *num. VIII.*) & hæc est quantitas ex qua in casu Falcidia detrahenda esset: Error COVARRUVIÆ in eo consistit, quod nullam interusurii rationem habuerit, & hæc est origo injustitiæ quam erga Titium committit, contra quem nec dictæ leges faciunt.

XVI.

Ope ejusdem formulæ  $20a - \left(\frac{20}{27}\right) \cdot 20a$  poterit hæc quæstio circa reditus vitales resolvi. Defunctus 2000 in bonis relinquens, legavit Sejo, tempore mortis testatoris 50 annos nato, 1500, ita tamen, ut eorum valor converteretur in pensionem vitalem annuam ab hærede præstandam; hæres, quamvis sibi magis consuleret, utendo Legis Falcidiæ beneficio, legatarioque statim 1500 exsolvendo, attamen voluntati testatoris obtemperare mavult, si modo justum pensioni exhibendæ statuatur pretium; Quæritur itaque pretium istud, vel valor pensionis annuæ, quam Sejus, donec vivet, secundum æquitatem ab hærede exigere possit, & quæ summam 1500, præsentem, probabiliter sit exhaustura? Cum pensio annua hic nondum sit determinata, & pro diverso annorum numero, quos Sejus poneretur adhuc victurus, variet, valorem pro illa, nimis à vero differentem, inveniremus, si mutatis mutandis, methodo uti velle-

mus



mus quæ inservivit resolvendis quæstionibus *num. XII. & XIII.* propolitis (1), alia ineunda erit via. Ponamus itaque numerum casuum respectivorum quibus Sejus successive, determinatos vitæ terminos attinget, esse *m, n, p, q, ----, r*, id est, *m* esse casus quibus moritur Sejus anno primo & per hypothesin nullam accipit pensionem, *n* casus quibus moritur anno secundo, semelque accipit pensionem, *p* casus quibus moritur anno tertio & bis accipit pensionem, & sic deinceps usque ad *r* casus, quibus extremum vitæ annum attingit, post quem scilicet nullus superstes in tabula emortuali reperitur & numerus pensionum annuarum quas accipit, æqualis est numero indicanti añum quo tunc moritur, unitate diminuto. Deinde pro quavis ætate, quam Sejus successive ponitur adhuc victurus, quæraturo valor summæ præsentis, quæ æquivalet pensioni, semel, bis, ter &c. percipiendæ, isti valores multiplicandi erunt per præfatos casuum numeros analogos, ac denique aggregatum productorum dividendum per summam omnium casuum; tunc quotiens exprimet verum valorem summæ, in incertum pensionum numerum solvendum, impendendæ, quæ summa debet poni æqualis 1500. Ad normam hujus solutionis, ne nimis tædiosus fiat calculus, diversas ætates, quibus superstes esse possit, considerabo, non per singulos annos, sed per quadriennia. Ostendit autem tabula Hal-

le-

(1) In *dd.* enim *num.* ideo methodus illa adhiberi poterat, quoniam ibi discrimen non circa ipsam sortem sed tantum circa interusurium versabatur, & præterea numerus annorum parvus erat; si vero istam methodum hic adhibere vellemus substituendo in formula

$20a - \left(\frac{2^0}{2^1}\right)^n$ ,  $20a$  pro *n* ætatem mediam Seji quæ in tabula emortuali reperitur = 17 annis, & quantitatem  $20a - \left(\frac{2^0}{2^1}\right)^{17}$   $20a$  æqualem ponendo 1500, inveniremus *a* aut valorem quæsitum redditus vitalis =  $\frac{6}{7}$  circiter veri valoris quem in textu, genuino determinamus modo. Idem quoque observavit Vir. Cel. NIC. BERNOULLI, in *Dissert. de Usu Artis conject. in Jure* p. 31, postquam erronea hac methodo jam usus fuerat.

lejana ex 346 qui anno 50<sup>mo</sup> superstites sunt post annum 54<sup>um</sup> restare adhuc 302, ut itaque 44 sint casus ut moriatur Sejus intra primum quadriennium, hoc est, ut probabiliter adhuc vivat 2 annos (sumitur enim hic dimidium, quia ponendum est singulis hujus quadriennii momentis, æque facile mori posse, adeoque, ne magnum a vero aberrandi sit periculum, præsumi debet, illum medio tempore, id est, secundo anno moriturum) 40 reperiuntur casus ut vivat 6 annos, 40 casus ut vivat 10 annos, 40 alii casus ut vivat 14, rursus 40 casus, ut vivat 18 annos, 44 casus ut vivat 22 annos, 40 casus ut 26, 30 casus ut annos 30 vivat, reliqui denique 28 qui anno 82 superstites sunt, cum observationes Halleji non ad ultimum morientem porrigantur, poni possunt per quadriennium adhuc victuri, ut ideo 28 sint casus ut 34 años vivat, hi singuli numeri casuum multiplicandi sunt cum valoribus præsentibus pensionis annuæ, numero annorum respondentibus, quos Sejus ponitur adhuc victurus & aggregatum horum productorum divisum per numerum casuum qui est 346, æquale ponendum 1500. Vocetur pensio annua quæsitæ,  $x$ ; apparet per præcedentia, valorem ejus bis percipiendæ fore  $= 20x - \left(\frac{20}{21}\right)^2 \cdot 20x$  aut  $(1 - \left(\frac{20}{21}\right)^2) \cdot 20x$ , valor ejus sexies percipiendæ  $= (1 - \left(\frac{20}{21}\right)^6) \cdot 20x$  &c. habebitur ergo

$$\begin{aligned}
 & (44 \cdot (1 - \left(\frac{20}{21}\right)^2) + 40 \cdot (1 - \left(\frac{20}{21}\right)^6) + 40 \cdot (1 - \left(\frac{20}{21}\right)^{10}) \\
 & + 40 \cdot (1 - \left(\frac{20}{21}\right)^{14}) + 40 \cdot (1 - \left(\frac{20}{21}\right)^{18}) + 44 \cdot (1 - \left(\frac{20}{21}\right)^{22}) \\
 & + 40 \cdot (1 - \left(\frac{20}{21}\right)^{26}) + 30 \cdot (1 - \left(\frac{20}{21}\right)^{30}) + 28 \cdot (1 - \left(\frac{20}{21}\right)^{34})) \\
 & \cdot \frac{20x}{346} = 1500 \text{ aut } (44 \cdot 0,0930 + 40 \cdot 0,2538 + 40 \cdot 0,3861 \\
 & + 40 \cdot 0,4949 + 40 \cdot 0,5845 + 44 \cdot 0,6581 + 40 \cdot 0,7188 \\
 & + 30 \cdot 0,7686 + 28 \cdot 0,8096) \cdot \frac{20x}{346} = 1500 \text{ aut } (4,0920 +
 \end{aligned}$$

$$10, 1520 + 15, 4440 + 19, 7960 + 23, 3800 + 28, 9564 + 28, 7520 + 23, 0580 + 22, 6688) \cdot \frac{20x}{346} = 1500 \text{ aut } \left( \frac{176, 2992}{346} \right)$$

$$\cdot 20x = 1500 \text{ aut } \left( \frac{176, 2992}{346} \right) \cdot x = 75 \text{ aut denique } x$$

$$= \frac{75 \cdot 346}{176, 2992} = \frac{25950}{176, 2992} = 147, 1924.$$

Videmus valorem huncce quem invenimus pro pensione annua, Sejo ad vitam ab hærede præstanda, proxime convenire cum censibus vitalitiis in Gallia hunc in modum constitutis, ut annuatim plerumque 10 pro centum fortis solvantur.

## XVII.

Quæritur an hæres, cui post ipsius mortem alius substitutus est hæres, beneficio legis Falcidiæ uti possit? Affirmatur; quia substitutio ut legatum censei potest, si hujusmodi concipiatur verbis: *hæredem facio Cajum, Sempronio autem post Caji mortem id lego, quod ad Cajum ex hereditate pervenerit.* Arg. l. 73. §. 4. & 5. ff. ad L. Falcid. l. 12. C. de Fideicommiss. Hoc posito quæstio erit, an consultius sit hæredi Cajo ad legem Falcidiam recurrere, an minus; manifeste sibi prospiciet, si prius eligat, cum decrepita fuerit ætate, aut posterius, cum juvenis, integra gaudeat valetudine: Quare nova oboritur quæstio, & nostra inquisitione digna, de determinanda ætate, supra aut infra quam Falcidia utilis aut noxia habenda sit. Ad hanc solvendam quæstionem, inquiremus in numerum annorum quos hæres vivere debet, ut Falcidia nec utilis nec noxia sit. Ponatur numerus iste =  $n$ : erit valor præsens omnium redituum annuorum =  $a - \frac{20^n}{21^n} \cdot a$  (m) intelligendo per  $a$  hæreditatis sum-

D mam;

(m) Vide Dissertationem sæpius laudatam *de usuris illicitis & interusurio* §. XVIII.

nam; oportet igitur ut statuatur  $a - \frac{20^n}{21^n} \cdot a$  vel  $\left(1 - \frac{20}{21}\right)^n$

$$\cdot a = \frac{1}{4} a \text{ vel } 1 - \left(\frac{20}{21}\right)^n = \frac{1}{4} \text{ vel } \left(\frac{20}{21}\right)^n = \frac{3}{4} \text{ vel } n \log. \frac{20}{21}$$

$$= \log. \frac{3}{4}; \text{ hinc } n = \frac{\log. 4 - \log. 3}{\log. 21 - \log. 20} = \frac{0,6020600 - 0,4771212}{1,3222193 - 1,3010300}$$

$$= \frac{0,1249388}{0,0211893} = 5,896 = 5 \text{ annis } 10\frac{2}{3} \text{ mensibus. Cum}$$

igitur hæres qui 5 ann.  $10\frac{2}{3}$  mens. hæreditate frui potest, sibi æque consulat, sive ad legem Falcidiam recurat sive universam hæreditatem adeat, restat ut quæramus in tabula Hallejana quænam ætas respondeat ætati mediæ 5 ann.  $10\frac{2}{3}$  mens. Videmus autem in dicta tabula huic ætati mediæ respondere proxime annum 76<sup>um</sup> est ergo ætas quæsitæ circiter 76 annorum. In nostra autem civitate, nolim ego voluntati testatoris morem gerere, nisi sub usura  $2\frac{1}{2}$  pro-

centum, tunc autem obtinetur  $1 - \left(\frac{40}{41}\right)^n = \frac{1}{4}$  vel  $\left(\frac{40}{41}\right)^n$

$$= \frac{1}{4} \text{ vel } n = \frac{\log. 4 - \log. 3}{\log. 41 - \log. 40} = \frac{0,1249388}{0,0107239} = 11,650$$

= 11 ann.  $7\frac{2}{3}$  mens. Hinc itaque hoc deduci potest corollarium; Quod numerus annorum quæsitus proxime sit usuræ modulo reciproce proportionalis, quia differentia logarithmorum numerorum propemodum æqualium, ipsi numerorum differentia proportionalis est.

Atque hæc sunt B. L. quæ impræsentiarum de legis Falcidiae beneficio festinante calamo annotare licuit; agnosco equidem me non modo argumentum meum non exhaussisse, sed nec pro dignitate gradus, cujus obtinendi gratia hæc dissertatiuncula conscripta est, proprioque desiderio tractasse meque adeo mihi ipsi non magis quam Tibi satisfacisse, verum jam ab aliquo tempore abitum mihi paranti multaque longe alia agenti ac ceteroquin in hujusmodi scriptis exarandis minus adhuc exercitato neque tempus neque



neque forsan vires quicquam elaborandi suppetebant; nolui interim patrium Lyceum ante relinquere quam legi academicæ satisfecissem, quæ post exantlata examina, specimen disputatorium a Candidatis requirit; quicquid ergo in juvenilibus istis conatibus meis reprehendendum repereris, id, ut multifariis quibus districtus fui negotiis juxta ac ætati benigne condones, etiam Te atque etiam rogo.

---

A N N E X A.

I.

Capti ab hostibus si in captivitate testamentum fecerint, hoc non valet, licet postliminio reversi fuerint.

II.

Filiusfamilias de Peculio adventitio irregulari testari nequit.

III.

Si quæraturo quo tempore testator testamenti factio- nem habere debeat, respondemus sufficere tempus conditi testamenti.

IV.

Filiusfamilias potest esse testis in testamento Patris & vice versa.]

V.

Onera legatorum non ad fiduciarium, sed tantum ad fideicommissarium hæredem spectant, ita tamen, ut ipse legis Falcidæ beneficio adversus legatarios uti possit.

VI.



## VI.

Lex Falcidia etiam in mortis causa Donationibus omnium bonorum obtinet, nec interest an extra Testamentum vel codicillos factæ sint nec ne.

## VII.


Si hæres, legis Falcidiæ beneficio renunciaverit, & ad legata integra solvenda se obligaverit, vi hujus promissionis tenetur.

## VIII.

Ob favorem libertatis quarta Falcidia ex legato libertatis non detrahitur.







ULB Halle


3


001 966 979



sb







Farbkarte #13

B.I.G.

59. num. 35. ~~P. 2. 54.~~  
Q. S. 1763/15

AUGURALE

LCIDIÆ  
ICIO

INO NUMINE  
RITATE

E AMPLISSIMI  
RUM ORDINIS


IA PATRIA  
UE JURE HONORIBUS

DOCTORALIBUS  
QUENDIS  
DUM PROPONIT

BERNOULLI

ILEENSIS  
N. MDCCLXIII.

Q. S.



ERI, Academix Typogr.

